

calliditates. *ME.* itane? *CH.* voltu' quoque hominum fingit scelus.

15 *ME.* gnatu' quod se adsimulat laetum, id dicis? *CH.* id.

*ME.* idem ȳstuc mihi

venit in mentem. *CH.* veterator. *ME.* mage, si mage noris, putas

ita rem esse. *CH.* ȳn tu? *ME.* quin tu ausculta. *CH.* 890

manē; hoc priu' scire expeto,

quid perdideris. nam ubi desponsam nuntiasti filio,

continuo iniecissem verba tibi Dromonem scilicet,

20 sponsae vestem aurum atque ancillas opus esse: argentum ut dares.

*ME.* non. *CH.* quid? non? *ME.* non inquam. *CH.* ne-

que ȳpse gnatu'? *ME.* nil prorsum, Chreme.

magis unum etiam instare ut hodie confiantur nuptiae. 895

*CH.* mira narras. quid Syru' meu'? ne is quidem quic- quam? *ME.* nihil.

*CH.* quām ȳb rem, nescio. *ME.* equidem miror, qui alia tam plane scias.

25 sed ȳlle tuōm quoque Syrus idem mire finxit filium, ut ne paullulum quidēm subolat esse amicam hanc Cliniae.

*CH.* quid agit? *ME.* mitto iam osculari atque amplexari: 900 id nil puto.

*CH.* quid ēst quod ampliu' simuletur? *ME.* vah. *CH.*

quid est? *ME.* audi modo.

est mihi ultimis conclave in aedibus quoddam retro:

30 huc est intro latu' lectu', vestimentis stratus est.